Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26220
Copyright: Admont, Benediktinerstift

89

Date iam gloriam deo et accedite ad ueritatem quam expugnati estis. aut si non accedatis fugite partes aduerse cum ductore uestro qui ab initio mendax est et mendacii pater.

Sermo cont(ra) VIII. h(ereticos) de sacerdotio

Accedamus nunc et ad illud discutiendum quod dicitis ordinem sacerdotum defecisse apud nos. et numquam inueniri uos sacerdotes nisi inter uos. Loquar nunc pro nobis qui in his que ad christianam religionem pertinent ad romanam ecclesiam respectum habemus. Sacerdotalem ordinem nos accepimus a romana ecclesia. romana autem ecclesia ab apostolo Petro. petrus autem a christo. christus a deo patre qui unxit eum oleo letitie hoc est spiritu sancto pre participibus suis. et iurauit dicens ad eum. Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. Uerus sacerdos erat dominus ihesus christus qui sacrificium corporis et sanguinem suum pascha obtulit deo patri super aram crucis ut statueret pacem